



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

LII. Quòd homo non reputet se consolatione dignum , sed magis verberis  
reum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

## CAPUT LII.

*Quòd homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus reum.*

1. **D**omine non sum dignus consolatione tua, nec aliqua spiritali visitatione: & ideo iustè tecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis.

Si enim ad instar maris lacrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem.

Unde nihil dignus sum, quàm flagellari & puniri: quia graviter & sæpè offendi, & in multis valde deliqui.

Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione.

Sed tu clemens & misericors Deus; qui non vis perire opera tua ad ostendendum divitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ, etiam præter omne proprium meritum dignaris consolari servum tuum supra humanum modum.

Tuæ

Tuæ enim consolationes non sunt sicut humanæ confabulationes.

2. Quid egi, Domine, ut mihi conferres aliquam cœlestem consolationem?

Ego nihil boni me egisse recolo, sed semper ad vitia pronum, & ad emendationem pigrum fuisse.

Verum est, & negare non possum. Si aliter dicerem, tu stares contra me, & non esset, qui defenderet.

Quid merui pro peccatis meis, nisi infernum & ignem æternum?

In veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio & contemptu, nec decet me inter tuos devotos commemorari. Et licet hoc ægrè audiam, tamen adversum me pro veritate peccata mea arguam, ut facilius misericordiam tuam merear impetrare.

3. Quid dicam reus, & omni confusione plenus?

Nō habeo os loquendi, nisi hoc tantum verbum: Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi.

Sine

Sine me paululum, ut plangam  
dolorem meum, antequam vadam  
ad terram tenebrosam, & opertam  
mortis caligine.

Quid tam maximè à reo & misero  
peccatore requiris, nisi ut contera-  
tur, & humiliet se pro delictis suis?

In vera contritione & cordis hu-  
miliatione, nascitur spes veniæ, re-  
conciliatur perturbata conscientia,  
reparatur gratia perdita, tuetur ho-  
mo à futura ira; & occurrunt sibi  
mutuò, in osculo sancto, DEUS &  
pœnitens anima.

4. Humilis peccatorum contritio,  
acceptabile tibi est, Domine, sacrifi-  
cium; longè suaviùs odorans in con-  
spectu tuo, quàm thuris incensum.

Hoc est gratum etiam unguen-  
tum, quod sacris pedibus tuis in-  
fundi voluisti: quia cor contritum  
& humiliatum nunquam despexisti.

Ibi est locus refugii à facie iræ ini-  
mici. Ibi emendatur & abluatur,  
quidquid aliunde contractum est &  
inquinatum.

Q

CA-